...nnes.
Dembicki Christoph. Stanisl.
Myszczyński Christophorus
Machowicz Joan. Florian.

Bieżanowski Stanisl. Jos. Trypos divae
Themidis aureus

TRIPOS DIVÆ THEMIDIS AUREUS,

Quatuor Doctoralibus Gemmis

CORONATUS,

Virtuti & Honori,

PERILLVSTRIVM, & ADMOD: REVERENDORVM DOMINORVM,

D. IOANNIS MICHTAROWSKI

Ecclesiæ Cathedralis Vladislauiensis CANONICI, ARCHIDIACONI Crusuiciensis;

D. CHRISTOPHORI STANISLAI DEMBICKI,

Canonici, & Officialis Sandomiriensis, Præpositi Stobnicensis, S. R. M. Secretarij;

D. CHRISTOPHORI MYSZCZYNSKI,

Protonotarij Apostolici, Cantoris Vislicensis, Sandomirień: Kielceń: Canonici, Actorum Curiæ Episcopalis Cracouiensis Notarij;

D. IOANNIS FLORIANI MACHOWICZ,

Philosophiæ Doctoris, Archidiaconi Pilecensis, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonici, Præpositi Zarnouecensis;

DVM

IN ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI,

A

PERILLVSTRI, & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

I. V. Doctore, & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Archidiacono, Canonico Vielunensi, Curato Luboricensi,

in florentissima Illustrium Hospitum corona,

IVRIS VTRIVSQ; DOCTORES,

ritu Solenni renuntiarentur;

PER

M. STANISLAVM IOSEPHVM BIEZANOWSKI, Leopol.

In eadem Alma Vniuersitate Cracouiensi, Philosophiæ Doctorem, Collegam Minorem, Ordinarium Pöëseos Professorem,

gratulatorio applausu,

DEDICATUS.

Anno Salutis, 1690. Die 6. Mensis Martij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITA[TIS].

TRIPOS
DIVÆ THEMIDIS
AUREUS.

Non vna Myrias gloriæ,
ſeculorum quoque non vna Chiliade parta,
Pelaſgum nomen, & ingeniorum prodigia,
eòuſq; olim extulit;
vt quod Græcia ſomniâſſet, oraculum cenſeretur.
Prouidi rerum ſuarum, & ſemper de ſe auguſta locuti,
produxerunt Græci in immensùm majeſtatem ſapientiæ ſuæ;
dùm ſub cortina ſapiunt,
& quod Timantis velum fuerat, non reuelant.
Pulcherrima etiam ſub commento,
vſq; ad illecebras animorum fingendi gratia,
poſtquam credulas mentes, dulci lenocinio illaqueaſſet;
etiam in mari rete poſuit;
vt piſcaretur tripodem, tàm verè aureum;
quàm vera ſemper Delphi, per Phœbades ſuas dixêre.
Sed quis non deſipiat?
cùm Argiui, etiam inter ſomnia, non deſipere, ſed ſapere viſi,
inuenerunt nomen perenne,
& eruditæ gloriæ principatum.
Quis apud tridentem Neptuni, aureo tripodi locus?
& tamen cum Helena, Paridem & Trojam,
formoſis retibus capit;
locum Delphico poſtea tripodi dedit;
vt ille Mileſiorum retibus caperetur.
O ingeniorum retia! ô laquei dulces!
quàm ſuauè eſt per Vos irretiri; vt veteris ſapientiæ
ducamur in triumphum;
reſpondeamuſq; ex tripode; qui ſeptem olim Græciæ ſapientibus
dono miſſus, & vſq; ad Apollinem remiſſus,
etiam nunc inter Solones, & Thaletes Sarmatiæ,
Delphos ſapit.

Augu-

Auguſtale hoc oraculorum, ſi vis?
Pantheon Iuris Lechicum cogita.
auguſtiùs hîc, quia veriùs Orbi loquitur,
non Phœbas, ſed Themis;
cui Regia Iagellonum maieſtas,
reſpondendi ex Iure, & purpuram, & Solium dedit.
Nunquam illa abſque tripode aureo;
quia nunquam abſq; conſilij Aurifodina;
vt magnis ab aureo æuo mentibus,ita & earum coronis
triumphat inexhauſta.
Quod ſi auro incluſæ,pulchriùs radiant gemmæ;
Tu certè in Polonæ Themidis aureo Senaculo,
gemmarum es prima, & monile dilectum,
Perilluſtris, & Admodùm Reuerende Domine,
D. IOANNES MICHTAROWSKI,
Eccleſiæ Cathedralis Vladiſlauienſis CANONICE,
Archidiacone Cruſuicienſis.
Ab aurea mente Tua, omnia Tibi ſumma venêre;
quâ enituiſti;
hîc vbi virtutum, & ſapientiæ gazophylacium,
auguſtum omninò & Regium eſt;
quia pro aureis mentibus fundatum.
Dotes animi Tui præſtantiſſimas,
iudicij publici Lydius lapis probauit,
& cenſuit jure eas æſtimari poſſe;
quæ ſolidæ virtutis & gloriæ, pondus & robur habuêre.
Inter elegantis ingenij Tui culturam,
ad Senacula Iuris,maxima Tibi inclinatio;
totumque Te eò contuleras;
vbi oracula ex Tripode Orbis reſpondent;
vigiliq; ſtudio, & ſumma praxi, in ampliſſimo
Conſiſtorio Cracouienſi id egiſti;
vt anima deinceps Conſiſtorij Vladiſlauienſis fieres,
& ex Magnorum ſenſu Antiſtitum reſponderes.
Diuina illa mens,

STANISLAI olim SARNOVII,
Epiſcopi Vladislauienſis,
tota DEO immerſa, tota zelo Eccleſiæ ardens,
Argum Te Sacri Tribunalis ſui fecerat,
ſatis vtique oculatum;
quia perſpicaciſſimâ mentis acie omnia penetrantem,
ex voto, guſtuq; Diœceſis illius;
quæ Areopagum ibi putabat, cùm ſcriberes, vel loquereris,
totaq; ab ore, & calamo Tuo pependit.
Illuſtriſſimi verò, & Reuerendiſſimi,
D. BONAVENTVRÆ de Niedźielſko,
MADALINSKI,
Epiſcopi Vladiſlauienſis feliciter moderni,
tota Tibi Gratiarum Sedes, & medulla aperta eſt;
in quam Te magni conſilij, & judicij æſtimatio introduxit.
Tantus Præſul,
& tam æuo noſtro, in Columen Eccleſiæ datus,
ſapientiſſimorum decretorum baſim,
in Te experitur haud vnquam nutantem;
quam animi profundè docti poſuit firmitudo;
& illa vis intelligentiæ, ac felicitas;
quâ regiminis Eccleſiaſtici intima comprehendis.
Certârunt proindè in Te honoribus ornando,
magni illi Antiſtites;
qui pulcherrimum ſibi duxêre,
felici ornamentorum prodigalitate in Te oſtendiſſe;
quàm omnis honos meritis Tuis impenſus,
parem Te ſemper, & majora promeritum inuenerit.
Orti honores Tui,
à Cancellariatu Cruſuicienſi,
ad Scholaſteriam deindè, & Officialatum Volborienſem progreſſi,
non priùs conſtitêre;
donec Te Perilluſtribus & Reuerendiſſimis,
Eccleſiæ Cathedralis Vladislauienſis,
Præla-

Prælatis, & Canonicis,
præcellens Tua insereret virtus;
Archidiaconatu quoq; Crusuiciensi aucta;
vt honoris, & Iurisdictionis, spectatissimo nexu emineret.
Hîc Tibi
ingens meritorum occasio, & sublime theatrum;
in quo quantùm pro Ecclesia DEI egeris,
& quàm meditamentis altioribus maiora cogites,
vox publica, & festiua acclamatio loquitur;
quæ Te
vt omnis coronamento gloriæ dignissimum censuit;
ita nunc solenni applausu excipit,
Doctorali Iuris Vtriusque Laureâ
coronatum.
Lubens hîc ad alteram,
non ex Erythræi maris liquidis visceribus erutam;
sed ex peruetusto Gryphino sanguine nobilissimam,
venio Gemmam;
ad Te inquam,
Perillustris, & Admodùm Reuerende Domine,
D. CHRISTOPHORE STANISLAE
DEMBICKI,
Canonice, & Officialis Sandomiriensis,
Præposite Strobnicensis, S. R. M. Secretarie;
in cuius pretiosum sanguinis, & animi obryzum,
gemmea secula laborârunt.
Sanguis hic Tuus,
Sarmaticæ Regũ purpuræ, per Gryphinos inuisceratus;
cui supra octo secula, grandæua senij maiestas est,
etiam inter coronarum gemmas spectari meruit,
IAXAS Regum Poloniæ filios,
Principesq; Serbiæ, & Pomeraniæ,
in augusta natalium origine non iactans, sed habens.

 Verùm

Verùm id
ſupra omnes Regalium cunarum purpuras æſtimat;
quod pro aureæ libertatis monili, in Gryphino Stemmate tuo,
excubijs publicis, & tantæ cuſtodiâ gazæ,
& Leo ſit, & Aquila.
Gryphem certè
ex volucrum, & animalium principe natura,
componi oportuerat;
vt maieſtatis non oblitus, Regium in libertate animum ſeruaret;
qui licet vsq; ad Lechicas, & Pannonicas coronas,
ad Archi Præſuleas, Epiſcopales, & Principes mitras,
& Senatus purpuram aſcenderit;
ſupra honores cenſuit omnes,
aurei in libertate velleris, Argus eſſe.
Volucribus pennis,
non euolauit cum eo ambitio ad ſublimia;
ſed mentium celſitudo, ſed meritum ingens;
cui patuêre deducta à IAXICIIS faſtigia,
tanto ſeculorum tractu, vſq; ad ſummum illud;
in quo Gryphinos, orbi viſendos etiamnùm,
apex virtutis, & gloriæ ſeruat.
Nôrint ſecula alios, qui præceſsêre;
nos compendia loquimur, & ſecula in vno;
ſed omnibus deinceps ſeculis ſuffecturo,
Illuſtri olim, & Magnifico Parente Tuo,
MARTINO DEMBICKI,
Succamerario Sandomirienſi.
Omnis hîc magni animi,
ſummæ prudentiæ, auguſtæ & Heroicæ mentis,
conſcia in Gryphe ſuo, Principum ab alto ſanguinis
Maieſtas,
ſapuit Orbis, & Patriæ bono;
quod Nobilitatis Principem decuit.
Ad Solium hoc in libertate ſpecioſum,
iuit vt Leo, per calcatas hoſtium ceruices inuictus;
ſublima-

ſublimatuſq; eſt omnium excelſo iudicio;
vt Aquila intelligentiæ ;
cui ſufficit pro immortalitate tota ;
quod meritis ingentibus, ſecurus gloriæ triumphet ;
quodq; in facie Regni, & inter Ciuium Senacula,
ad animorum ſtuporem, & ſenſerit, & reſponderit,
Patriæ Conſus ad oracula natus.
Decora eius,
excesserunt omne id, quod de illis cogitamus in ſummo ;
ibi habitura magnitudinis ſuæ menſuram ;
vbi immenſum eſt, quod Ciues Patriæ optimos coronat.
Viciſſe ætatem noſtram meritorum ſerie,
dare poſteris guſtum, & deſiderium ſui, ac exempla virtutis ;
abſoluiſſe omnis gloriæ paradigma in puncto,
hic eſt eius triumphus maximus ;
cui ſi Maternam in TASZYCIIS, ſplendidiſſimi ſanguinis claritudinē
ſonoraſq; per Orbem IORDANORVM tubas,
& quicquid in OCIESCIIS, KOMORNICIIS, GNIEWOSZIIS, BRZYCHVIS,
Heroas Patriæ, & immortalia ſapit,
conſanguineo nexu, adiunxeris ;
ſatis eſt in Magno Patre, quo deinceps in Filio,
conſcia tantæ ſtirpis, & Orbis de ſe iudicia excedens ;
honorū etiam ſine titulis maieſtas, Gryphemq; ſuum in ſublime ſecuta,
eminentis animi celſitudo triumphet.
Hoc agis magna mente Tua,
tantorum Maiorum, & tanti Parentis ſoboles,
verè Gryphinis tot ſeculorum ſplendoribus digna,
Perilluſtris, & Admodùm Reuerende Domine,
D. CHRISTOPHORE STANISLAE
D E M B I C K I ;
vt in Te nobis omne decus auitum,
ſic repræſentes ;
ceu ſolus id totum poſſederis ;
quod tanto rerum, & temporum tractu,
ad Te deuolutum ;
collectæ diù magnitudinis, capaciſſimum Te adinuenit.

Decora animi Tui,
literato cultu exquiſitè ornata,
ſingulari prudentiâ, agendi dexteritate,
incredibili morum temperie, & affabilitatis dulcore,
omnium affectus ad ſe trahentia,
etiam abſq; vllo ore, & calamo panegyrico,
ipſa de Te oracula ſunt.
Eccleſiaſtici ſpiritus zelum,
ſacri regiminis ſcientiam, illibatæ virtutis exemplar,
in Officialatu Sandomirienſi,
curas felices, & iuſtitiæ reſponſa,
& totum id, quod in Te eminet,
illa nonniſi æſtimatio Tui comprehendit;
quæ Te
Celſiſsimis, & Reuerendiſsimis,
Cracouienſis Eccleſiæ Antiſtitibus,
ANDREÆ TRZEBICIO,
& IOANNI MAŁACHOVIO,
ad ſumma omnia natum, & cuiuis honorum celſitudini,
ex dignitate reſponſurum,
ſublimi de Te iudicio reuelauit.
Non effugis
& Auguſtam Regalis Solij Maieſtatem;
quæ in Te, pupillam interiorem ex altò defigit;
vt ſplendidiſſimis æquè Natalibus, prout & virtutibus Tuis,
eam lucis publicæ augem deſignet;
per quam in orbe Polono ſpecteris,
Lucidiſſima Eccleſiæ Dei, & Patriæ,
Cynoſura.
Nunc verò,
vt pretioſa, in aureo Diuæ Themidis Tripode,
Gemma ſis;
potior gemmis omnibus; quia ex ſapientiæ pretio veniens,
ambit Te plauſu maximo,

& ipſa

& ipsa coronari in Te desiderat,
Doctoralis
in Iure Vtroq; Corona.
Ad hanc Tu quoq; spectas, & accedis,
Tertia Aurei Tripodis Gemma,
etiam nobili ortu pretiosa,
Perillustris, & Admodùm Reuerende Domine,
D. CHRISTOPHORE MYSZCZYNSKI
Protonotarie Apostolice, Cantor Vislicienlis,
Sandomiriensis, Kielcensis Canonice,
Actorum Curiæ Episcopalis Cracouiensis Notarie.
Liliorum Tibi pulchritudo, & candor,
ex florido Stemmate venit;
vtq; pulchrum erat, inter Gentilitia Lilia nasci;
ita pulchrius, animo illibato decorem natiuum circumferre.
Duxerunt Te florida Maiorum vestigia,
ad coronam virtutis, & gloriæ;
sed generosæ menti Tuæ, stimulis antiquioribus non erat opus;
cùm præstò haberes,
recentissimi decoris in Domo Domini, sat illustre exemplar,
inter gemmas Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis refulgens;
quod consanguineo gradu sequeris;
cùm sis,
Perillustris, & Reuerendissimi Domini,
D. TOBIÆ ZABOKŁICKI,
Canonici Cracouiensis, ex Sorore Nepos.
Quanquam verò ex tanto, clari sanguinis inuitamento,
illustre quiduis, & decorum, animo Tuo inhæserit;
Acrocorynthus tamen honoris Tui,
& Capitolium istud, quod Te nunc sublimat,
ex meritis potissimùm assurrexit;
cui basim firmissimam, pectus sapiens,
& virtutis solidæ, lapis posuit angularis.
Ad ingenij dotes nobilissimas,
curæ vigiles in studio Iuridico cùm accessissent;
C introdu-

introduxerunt Te, in Sanctuarium Diuæ Themidis,
vsq; ad cortinam, Delphicâ maiorem, quia sanctiorem;
sub qua tamen, sic latuisse non poteras;
vt non erumperes ex ea, magnis ingenijs visendus;
quorum honorifica de Te iudicia meruisti.
Credita felici calamo Tuo,
non folia Sibyllæ, vel Romana duodecim tabularum arcana;
sed Magnorum Antistitum decreta, & Sacra Tribunalia;
quorum maiestatem hùcusq; gloriosè retines,
& responsa fastis immortalibus tradis.
Quid poterat nomini Tuo esse augustiùs?
quàm ex sacro Trzebiciano Consistorio,
illud Tui pretium, illam tulisse gloriam;
quæ Tibi nunc etiam,
sub Fasciæ Małachovianæ Principe nexu,
non Ecclesiasticas tantùm nectit coronas;
sed etiam Doctorales;
vt cùm Te,
lilijs iam auitum generis decus;
Roma Protonotariatu Apostolico,
Ecclesia tot honorificis Prælaturis
pulcherrimè exornauerit;
Diua quoq; Themis Polona,
omnes in Te dotes, virtutes, & gratias,
honore Doctorali, ceu gemmâ consignet.
Spectatissimus quoq; in ea cernitur,
nominis Tui splendor, & gemmeus animi nitor,
gemmarum in aureo Tripode coronis,
Perillustris, & Admodùm Reuerende Domine,
D. IOANNES FLORIANE
MACHOWICZ,
Philosophiæ Doctor, Archidiacone Pilecensis,
Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonice, Præposite Zarnouecens.
Genuina Tibi indoles eius Matris;
præter quam in partu, & cultu literato, aliam non sensisti,
annosam

annoſam quidem, ſed non effœtam:
quinimò filijs, ſicut nouellis oliuarum, in circuitu ſenij ſui abundantē,
Vniuerſitatem nimirùm Cracouienſem.
Hæc Tibi dux ad bonas literas,
hæc ad virtutem via, ad præmia ſtimulus;
pro quibus ſatis athleticè ſudâſti,
vsq; ad geminas in Philoſophia coronas,
ingenio eleganti, ſtudio indefeſſo,
conſtantiâ laboris, & animi modeſtiâ pari.
Ad Iurisprudentiæ præcipuum amorem,
grande Tibi incitamentum,
Perilluſtris olim, & Reuerendiſſimus,
ANDREAS GRABIANOWSKI,
Canonicus Cracouienſis,
oraculum æui noſtri, & Iuris aurea lampas;
ex cuius luce domeſtica,
cum eximia nominis claritudine, in lucis publicæ faciem prodijſti,
præclari ſanguinis eius inſtitutione, vel ideò felix;
quòd ex hac inſigni meritorum occaſione,
ſublimioris de Te exiſtimationis gratiam, & felicitatem ſis conſecutus.
Auxêre eam mox, & Eccleſiaſtici honores,
ornamento virtutis, incremento gloriæ;
cùm poſt Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium,
inter magni nominis Prælatos, & Canonicos,
ac Præpoſituræ Zarnouecenſis, collatam Tibi dignitatem;
etiam Archidiaconatus Pilecenſis,
officium Te ſatis inſigne decorauit.
Placuerat in Te,
Jlluſtriſſimo ſanguini WARSZYCIANO,
rerum Diuinarum amor, cura & vigilantia Paſtoralis,
plena optimi exempli authoritas;
quæ effecit;
vt decora Tua, tantò illuſtriùs in Eccleſia Pilecenſi radiarent;
in qua tantæ Domûs pietas,
ex auitis, Magnorum Principum ſplendoribus, coruſcat.
Quodſi Virum oſtendit Magiſtratus;

 certè

certè Archidiaconum Te, functio ſat præclara,
dignum oſtendit;
vt aureus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & Iuriſdictionis Tripos,
tot meritis, & gratijs auctus,
ſapientiæ Tuæ decus, vsq; ad Doctorale Iuris faſtigium eueheret.
In hoc ergò iam,
cùm Eccleſiæ, Orbis Poloni, & Areopagi Iuridici,
tota in Vos facies conuerſa,
lætitiæ publicæ pro Oraculo ſit:
Panegyris Veſtra deſinat;
ſatis perorante pro Vobis Tripode aureo;
in quo tota Panegyris Veſtra,
ex ſapientiæ oraculo decretus,

Honos eſt Doctoralis.

Floreat hic in Vobis,
& illuſtri Quaternione ſuo, ſecula vincat,
benedicente illi,
aſſiſtrice ſedium Diuinarum,

Æterna Sapientiâ;

cuius opus eſt,
Ciuitas in quadro poſita,
tota aurum mundum, tota ex lapidibus pretioſis;
ex quorum numero,
ſatis gemmei, ſatis eritis lapides pretioſi,
ſatis etiam perennes;
quia in ſolido quadrato poſiti,
nimirùm

QUATUOR CORONATI.